



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 39. Legatorum consilium de hoc negotio ad Papam remittendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

tionibus calicem peterent, postea earum nullam adimpleturi essent: quinimo Vargas quoque ad Pagnanum, Piscarii Marchionis administrum Tridenti agentem scripserat, ejusmodi concessionem utique Regi detrimento futuram, propterea quod hoc ipsum in Hispanis sub pietatis specie hujusmodi novitatum desideria excitaret, hæque subditorum cupiditates, sive ipsis satis, sive non fieret, semper cum perturbationis periculo in regnis copularentur. Eandem quoque rem Pagnanus ad ipsum Regem perscripserat.

## §. XXXIX.

*Legatorum consilium de hoc negotio ad Papam remittendo.*

Interea Legati, cum calicis negotium *Sarp. l. 6.* ad Pontificem remitti haud ægre fer- *p. 552.* rent, illos quoque, qui prius sese opponebant, ad sua studia pertrahere nitebantur: eapropter hujus rei provinciam tradebant Jacobo Lomelino Episcopo Mazariensi, & Vicecomiti Ventimigliensi Antistiti, ut ea, qua possent, dexteritate, cautioneque in id incumbere: nec cessatum ab ipsis Legatis, nam id persuadebatur eorum opera tribus primo Patriarchis, ac dein omnibus ditionis Venetæ Prælati, qui satis magno erant numero, ut ad eam partem

T 3 acce-

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.



Sæcul. XVI  
A.C. 1562.

accederent, quæ rem ad Pontificem remittendam censebat. Legati tot sibi conciliatis, quot ad rem conficiendam sufficere credebant, difficultatibus omnibus se defunctos putabant, quapropter literas ad Pontificem unacum suffragiorum omnium indice conscribere statuebant. Verum cum de hujus epistolæ forma consultarent, Episcopus Quinqueecclesiensis re comperta declarabat, quod nunc, cum in Sessione præcedenti duo articuli de communione sub utraque specie fuerint reservati, atque jam discussi sint, requireretur, ut in actis Sessionis, quid decretum sit, appareat, nec a suis precibus desistere possit, donec desuper decretum esset promulgatum: Hosius vero Legatus, ac Cardinalis Warmiensis, quantæ sit & difficultatis, & periculi proponere ejusmodi decretum, exposuit, suavitque, ut literis ad Pontificem dandis velit esse contentus, cum a Papa, quicquid peteret, facile impetrare valeat: sed cum ille neutiquam acquiesceret, Legati statuere cogebantur, ut tandem Decretum conficeretur in Sessione prælegendum, cui Episcopus volebat inferi, quod Synodus, cum expedire intelligat concedi usum calicis, ad Papam referat, cui, & quibus legibus sit concedendus. Ast Legati Episcopo reponebant, permul-

tos



tos ex illis, qui rem Pontifici relinquen- **Sæcul. XVI.**  
 dam censuissent, in eadem opinione ad- **A. C. 1562.**  
 huc persistere, eoquod liquido iis non  
 constet, utrum ejusmodi concessio ex-  
 pediret, quapropter hi omnes Decretum  
 oppugnaturi essent, adeo, ut nec ab il-  
 lis impetrari posset, quatenus decreto  
 inferi permetterent, quod Synodus ca-  
 liciis usum concesserit, quinimo, etsi id  
 ab eis obtineri posset, par tamen foret,  
 ut hebdomadæ unius interpositione æ-  
 stum hunc sinant deservescere. Huic  
 quoque consilio Quinqueeclesiensis E-  
 piscopus acquievit.

§. XL.

*Examen de Sacrificii doctrina  
 continuatum.*

**N**ec tamen adeo cunctæ hæ consul-  
 tationes circa calicis usum disten-  
 tam tenebant Patrum sollicitudinem,  
 quin intenti quoque essent eorum ani-  
 mi, ut alia argumenta in privatis con-  
 ventibus agitanda disponerentur, ad  
 eam normam redacta, ut illa cum om-  
 nium applausu excipienda speraretur:  
 præprimis vero Patres ad discutiendam  
 Christi oblationem designati adeo scite  
 cuncta confecerant, ut nihil eorum,  
 quæ in controversiam duci possent, de-  
 creto infererent; duntaxat enim pro-  
 nuntiabant, quod Redemptor in cœna